



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Nilvs Abbas. 26. Septembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

tunc cum primis magum, & orco omnes amores contra IVSTINAM evocantur. Sed omnes faces incestæ, omnia tela unico crucis clypeo repelluntur, & totus Cupidinum exercitus ab unicâ fugatur Dianâ. Enimverò irasci hic arti suæ, sed multò magis artis magistro Cacodæmoni CYPRIANVS, & quia hic victum palàm se fatebatur, nuntium illi mittere, jamque libros & in libris Venerem Vulcano dare, ipse Christo & IVSTINÆ adhærere. Cum hâc in exilium, in carcerem, in equuleum, in bullientes à flammis sartagine, ad palum denique & secures ivit. Itaque quando hodie virgini IVSTINÆ, virum magum CYPRIANVM, hoc est oviculæ lupum junximus, an non aurea secula reduximus?
Ex Lipeloo.

S. NILVS ABBAS. 26. Septembris.

Optimè omnium post conjugis mortem viduam vitam NILVS egit, quando solus jam in locis solis egit, Sed quid dico solus, quando exempli socios complures, & Cryptæ Ferratæ Abbas imperium in Magnates & ad eò Imperatores & Pontifices habuit? Nam ut alios taceam, Eupraxium Imperatoriâ præfecturâ superbum morbo curavit, & inter monachos adscriptum morre paulò post felici beavit. Alios

L1 3 viros

viros Principes quod inventum monachi cucullum riderent, graviter objurgavit edixitque id fore, quod factum mox est, ut serio hunc sed sero ante mortem essent petaturi. Ipsum Ioannem XVI. Pont. & Othonem Imperatoriâ virgâ notavit. Et ille quidem cum videre errorem suum noller, oculos amisit, hic poenitentia ductus patrem sensit. B. NILVM & manus huius, in quas ille coronam unaque se & sua tradiderat, bene precantes habuit. Quidvis etiam Orho promittens, si pereret modo NILVS, illud audivisset, nihil nisi animum Imperatoris ex toto imperio se petere. memor esset, quos orbis nunc adoraret fascies, Dictatorum olim supremo submittendos. Hoc principibus, illud omnibus omnino prodedit. Invisere ad NILVM viri e prima nobilitate iidemque literati. Sed ille inanes disputantium argutias exositas legi iussit inexpectatam, Simeonis Emericolæ inquam visum, quo vir decimum quemque mortalium calo asserendum affirmabatur. Cohorruere adhac omnium animi tunc. At nostri philosophi Heracliti omnes sunt, ridend, nescio an tam feliciter decimandi. Ex Baron. tom. 10.

S. CAL.

